

R. P. D.

FIGUEROA

Cracovien. Venditionis.

Lunæ 15. *Maii* 1752.

1 VEnditionem Prædii in Villa *Raclavice* factam anno 1624. à Præposito, & Conventu Miechovien. Ordinis Canonicorum S. Sepulchri pretio Polonorum florenorum 3000. erga Monasterium Zverzinecen., ejusque Sanctimoniales Ordinis Præmonstratensis, serò nimis, atque ineptè anno 1747. nullam, irritamque proclamarunt moderni Præpositus, & Canonici coram Reverendissimo Nuncio Poloniæ: Ab hoc proinde merito reje-

cti fuerunt per contrariam Sententiam declarantem validum, ac legitimum venditionis contractum: Nec melioribus pugnarunt auspiciis in gradu appellationis ad nostrum Tribunal interpositæ; nam interrogati per me DD. = *An sustineatur alienatio, ità ut sit danda manutentio in casu &c.* =, respondere non hæsitarunt = *Affirmativè in omnibus* =

2 Publicum namque venditionis Instrumentum inter duo Monasteria solemni forma stipulatum, observatumque præterea immani centum, & viginti septem annorum spatio, adeò firmam pro se habet validitatis, ac justitiæ præsumtionem, ut nonnisi perspicuis, certisque probationibus liceat illud in judicio oppugnare ex firmatis per *Spad. consf.296. num.14. lib.2. Rocc. disp. jur. cap.99. num.21., & 22., Pacion. de locat. cap.8. num.36., & 85., Rot. coram Molin. decis.101. num.5., & seqq., & in Melevitana Societatis* 13. *Maii* 1735. §. 14. *coram clar. mem. Card. Calcagnino, & in Sublacen. Pecuniaria* 16. *Aprilis* 1736. §. *Declinari coram eodem*.

3 Valdè verò distant à necessaria hujusmodi perspicuitate, & certitudine, quæ per Monasterium Venditorem deducuntur, sive à minus integro Canonicorum, Præpositique consensu, sive à defectu nedum Apostolici Beneplaciti, sed etiam utilitatis ejusdem Monasterii, quod imo summopere læsum in contractu conclamatur: Una siquidem omnibus hisce objectionibus sufficeret generalis responsio, perperam nempe de his disceptari post completam centenariam, quæ validissimam tribuit, & consensus, & beneplaciti, & utilitatis præsumptionem, ut promiscuè firmat *Rocc. disput. jur. cap.59. num.11. ad 14. Rot. coram Benincas. decis.195. num.13. coram Caprar. decis.746. n.5. coram Falconer. decis.16. num.16. tit. de Benefic., & in Romana Associationis* 10. *Maii* 1706. §. *Quod autem, & seq. coram clar. mem. Card. Scotto, & in Tirasonen. Jurisdictionis super Reservatis* 22. *Junii* 1739. §.3., & §.77. *coram R.P.D. meo Canilliac, & in Forolivien. Manutentionis super Re judicata* 19. *Junii* 1750. §. 5. *cor. R.P.D. meo Bussio*.

4 Nec dici valet, hujus centenariæ, vel intercisus cursus ex protestationibus, & actis annorum 1628., 1633., 1692., & 1703., vel fracta vis, & efficacia ob tot bellorum, armorumque tumultus, quibus toto fermè præterito Sæculo Poloniæ Regnum conflictatum fuit. Protestationes namque annorum 1628., 1633., & 1692., utpote clam emissæ, non interpellatis, imo insciis penitus Monialibus, tanti non sunt, ut malam fidem inducere, & centenariæ cursum compescere potuerint, ex firmatis in puncto per *Rot.*

Rot. post Marchesan. part. prima cap.2. decis.24. num.6. §. Non obstat, & in Polocen. Bonorum 7. Februarii 1729. §. 19. coram clar. mem. Card. Aldrovando; & 23. Novembris 1731. §.8. coram bon. mem. Gamaches. Imo cum his non obstantibus protestationibus, adhuc contractus semper fuerit observatus, Emptore possidente rem emptam, Venditore verò investimentum ex pretio factum; tantum abest, hasce protestationes centenariæ nocuisse, ut è contrario illam firmiorem, validioremque reddiderint, ut benè firmat *Rot. in Neapolitana Cappellæ, & Sepulchri super Bono Jure 14. Maii 1723. §. Lis denique coram clar. mem. Card. Calcagnino, & in Romana Census 26. Januarii 1726. §. 25. coram eodem, & in Firmana Fidæ, & Collectarum 21. Martii 1735. §. 30. coram eodem*: Acta verò anni 1703. nil ultra continent præter unam Canonicorum instantiam temerè factam coram Judice laico, & consequenter incapaci causam inter Ecclesiasticos cognoscendi; Hæc autem instantia tamquam invalida, & à jure improbata, magisque pœna, quàm favore digna perinde habenda est, ac si facta non fuisset, nullumque sortiri debet juris effectum, *Bald. in leg. fin. vers. in eadem ff. de eo per quem factum erit, Altimar. de nullit. rub. 12. quæst. 18. num.39., & seq., Franc. decis.232. num.4., & ibi Amendol. pariter num.4. Rot. coram Falconer. decis.4. num.4.* Præterquamquod remissa subinde causa ad Judicem Ecclesiasticum, & competentem, tantum abest, Canonicos coram eo quidquam egisse, ut imo permiserint novo silentio, atque observantia quadraginta quatuor annorum contractum magis, magisque confirmari, atque approbari, juxta auctoritates superiùs adductas.

5 Quod verò pertinet ad bellicos tumultus, nusquam probavit Actor, eos contigisse in Civitate, & Regione Cracoviensi; nusquam docuit, perennes, & continuos fuisse; nusquam denique palam fecit, hosce tumultus ejus extitisse conditionis, ut forum inde, & Curia penitus siluerit, nullique fas esset jus suum persequi in judicio. Qui enim pro suæ intentionis fundamento impedimentum allegat id concludentissimè probare debet; demonstrando præterea nullo pacto, nullaque diligentia removeri potuisse, *Gratian. discept. for. cap.15. num.17., & cap.574. num.20. Jov. de solemnit. in contract. minor. Gloss. 22. §.1. num.17., & §. 27. num.17., Rot. coram Emerix junior. decis.457. n.3.* Maximè quia res agitur de cursu centum, & ultra annorum, intra quod spatium ad centenariæ firmitatem totum id contigisse præsumitur, quod utcumque contingere potuit *Rot. decis.41. num.20. post Vivian. de Jurepatr. coram*

Ubag. decis.24. num.14. in Recent. decis.679. num. 14. part. 18. , *& in Firmana Jurispatronatus* 21. *Aprilis* 1701. §. *Minimè coram bon. mem. Muto* .

6 Cæterum singillatìm etiam expéndendo singula vitia , quæ in contractum obiiciuntur, ea nullius ponderis esse deprehenduntur : Quod enim Præpositus , & Canonici in Capitulum congregati vendiderint , planum , apertumque faciunt ea Instrumenti verba ibi = *Intèr Illustrissimum Matthiam Lubieschi Episcopum Chelmen. Præpositum Miechovien. Fratrum Religiosorum ad sonum Campanæ pro Capitulo propterea congregatorum* = & rursus ibi = *Consulendo Illustrissimus Episcopus cum Conventu suo* = , & demum ibi = *Consentientibus Fratribus* = . Ineptissimè verò contenditur , edenda esse acta capitularia , ad comprobandum omnia ad Capituli formam , & solemnitatem spectantia servata fuisse , nam post tanti temporis effluxum , nedum acta privati Capituli , sed pretiosiores quoque Codices , & Scripturæ facillimè perire potuerunt. Nihil igitur proponitur , cur quoad solemnem , validumque Præpositi , & Canonicorum consensum standum non sit assertioni factæ in publicis Instrumenti tabulis , concurrente , tum tanta temporis vetustate , tum æquè vetusta , ac perenni contractus observantia , ut notat *Rot. in Civitatis Vetulæ Fideicommissi* 14. *Februarii* 1707. §. *Propterea coram bon. mem. Caffarello* , *& in Romana Domus* 10. *Junii ejusdem anni* §. *Neque obstat coram clar. mem. Card. Scotto* , *& in Tiburtina Successionis* , *seù Recadentiarum* 9. *Decembris* 1726. §. 11. *coram bon. mem. Crispolto* , *& in Firmana Fidæ* , *seù Collectarum* 21. *Martii* 1735. §. 34. *coram clar. mem. Card. Calcagnino* .

7 Inutilitèr quoque Apostolici assensus defectus opponitur ; Præter enim illum , qui post observantiam unius Sæculi præsumendus est , cum de cætero inter Ecclesias sola triginta annorum observantia ad hanc rem sufficiat ; verum præterea , ac reale Beneplacitum concurrit. In ipso enim venditionis Instrumento expresse reservatum fuit , & anno 1630. reipsa ad Canonicorum preces obtentum à Sacra Congregatione Concilii , cujus rescriptum , licet in forma commissaria fuerit expeditum , nec hodie de solemni illius executione per actorum exhibitionem doceatur , nihilominus illa eadem vetustissima contractus observantia , quæ Beneplaciti præsumptionem inducit , multò potentior esse debet ad præsumendam illus validam , legitimamque executionem , ut egregiè firmat *Rot. in Forolivien. Manutentionis super Re judicata* 19. *Junii* 1750. § 5. *coram R.P.D. meo Bussio* . Certiùs verò , quia universa acta judiciaria illius temporis probantur deperdita , quo casu

con-

concurrente temporis, & observantiæ diuturnitate, vindicat sibi locum firmissima juris præsumptio, quod pertinentia ad Beneplaciti executionem omnia ritè gesta fuerint, & quod Acta simul cum cæteris monumentis, & Scripturis perierint, *Rot. decis.* 251. *num.* 55. *coram Otthobon.*, *& dec.* 241. *num.* 4. *part.* 6. *Rec.*

8 Perperam verò ad Rescripti nullitatem recurrunt Canonici, quia scilicet Sac. Congregationi tria hæc expressa non fuerint. Primum, alienationes prohiberi etiam à generalibus Ordinis Constitutionibus: Secundo Prædiis alienatis inhærere jus patronatus Ecclesiasticum: Et demum tunc temporis contractum jam fuisse impletum, ac Prædiorum possessionem in Emptorem jamdiu translatam. Enim verò Constitutiones Ordinis nihil continent supra juris dispositionem, nec propterea si Congregationi enarratæ fuissent, vel uno temporis momento Beneplaciti concessionem retardassent. De jure verò patronatus reali, ac bonis venditis insidente nulla datur concludens probatio, nec pariter docetur Sanctimoniales hoc jure patronatus uti, fruique. Et tandem si Prædiorum traditio jam erat sequuta, id nocere non debet firmitati Apostolici beneplaciti, quippe quod expresè in Instrumento venditionis reservatum, sicuti contractum in implicito validitatis statu conservabat, ita quandocumque postea superaccedens illum ad perfectionis, ac validitatis gradum evehebat. Præcedens verò possessio, ac traditio efficere quidem potuit ut Contrahentes inciderent in pęnas in Paulina Constitutione contentas, sed irritum non reddidit venditionis contractum, à quo Partes, nec ante Beneplaciti impetrationem, nec in illius executione recesserunt, sed eum, imo longo temporis intervallo ratum subinde, firmumque perpetuo habuerunt, *Corrad. prax. dispens. lib.* 9. *cap.* 6. *num.* 18., *Monacell. formular. legal. pract. tit.* 14. *form.* 4. *num.* 2.

9 Frustra quoque de contractus inutilitate, ac læsione movetur quæstio, nam recepti juris est, in hac materia unicè spectandum esse tempus ejusdem contractus, *Bordon. resol. regular.* 27. *num.* 25., *Rot. coram Dunozet. Jun. dec.* 703. *num.* 8., *& seq.*, *& coram Caprar. decis.* 294. *num.* 13.; Inspecto igitur hujus venditionis tempore, nihil probatur à Canonicis, quod contractus utilitatem excludat. Imo omnia pro illius utilitate, ac justitia militant. Etenim pręter illam generalem juris præsumptionem, quod in dubio contractus probus, justusque censeatur, de qua *Spad. cons.* 296. *num.* 14. *lib.* 2., *Rocc. disp. jur. sel. cap.* 99. *num.* 21., *&* 22. *cum aliis apud Rot. in Sublacen. Pecuniaria* 16. *Aprilis* 1736. §. *Declinari coram clar. mem. Card. Calcagnino*

gnino; urget hic specialiter, quod venditioni de qua agitur, consensit Ordinarius Cracoviensis, eamque plenè confirmavit, & approbavit. Neminem autem latet, ejusmodi Episcoporum confirmationes, & assensus omnem excludere doli fraudis, & injustitiæ suspicionem, ut in puncto ait *Rot. decis.* 10. *num.* 16. *de pact. coram Falconer.*; Maximè verò, quia providentissimus Episcopus antequam venditionem confirmaret, mandavit duobus Canonicis, ut ad Prædia vendenda accederent, eorumve distantiam, conditiones, valoremque scrutarentur, sibique de utilitate, vel læsione contractus referrent. Hi verò omnibus per diligentem inquisitionem, & inspectionem examinatis, atque in Scripturam redactis, amplissimam fecerunt fidem, contractum in Monasterii utilitatem fore cessurum. Itaque absurdum videtur illam hodie utilitatem in dubium revocare, quam centum viginti septem retro annis testatam fecerunt, propriisque oculis deprehenderunt Viri omni exceptione majores, *Gratian. discept. for. cap.* 600. *num.* 23., *& seqq*, *Rot. in Rom. Læsionis* 14. *Maii* 1717. §. *Et sanè coram clar. mem. Card. Corio*.

10 Nec prætereundum est, quod biennio circiter post contractum, in Constitutionibus Generalis Capituli Miechovien. approbata fuit isthæc venditio, simulque investimentum pretii. Porrò ejusmodi approbatio maximè læsionem excludit, addita præsertim longæva contractus observantia, cum inverisimile videatur, tot Canonicos, & Capitulares in Monasterii perniciem conspirare voluisse, modò ratum habendo læsivam venditionem, modò permittendo, ut illa per immensam annorum seriem observaretur, *Rot. in Bononien. Immissionis* 17. *Aprilis* 1722. §. *Nec obstat coram clar. mem. Card. Corio*.

11 Nullius verò momenti fuit apud DD. exaggerata Episcopi deceptio, quia scilicet ipsi expositum fuit, agi de venditione *Prædioli*, cum è diverso ageretur de magno, & egregio latifundio. Quandoquidem tantum abest, Episcopum fuisse deceptum illa vocula *Prædiolum*, ut imo Canonicis delegatis commiserit curam recognoscendi = *Agros*, *Prata*, *Rubeta &c.*, *omniaque*, *& singula Prædio servientia* = Eorumdem verò Canonicorum relatio tenui Prædio minimè convenit. Præterea nec illud etiam satis demonstratum est, magnum, & immensæ fuisse quantitatis Prædium venditum. Nam nupera mensura haudquaque concludit, quantum, & cujus conditionis esset Prædium anno 1623., cum illud in tam enormi temporis decursu augeri potuerit à Sanctimonialibus, quas præterea constat ipso contractus tempore plura possedisse contermina Prædia, & hac ipsa de causa emptionem fecisse, de qua agitur, ut post *Textum*

in

in leg. Pretia rerum §. *fin. ff. ad leg. Falcid.* firmat *Rot. cor. Gregor. decis.* 553. *num.* 4. , *& in Rec. dec.* 457. *sub num.* 2. *part.* 2. , *& dec.* 46. *num.* 16. *part.* 6.

12 Nec pariter ad læsionem concludendam valuit proferre quamdam hujus Prædii locationem initam anno 1622. Monasterium inter , & Matthiam Kraina annua constituta pensione in florenis 400. , quandò è converso pretium florenorum Polonicorum ter mille collocatum in emptione Census nil ultra reddit Monasterio præter annuos florenos bis centum , & decem . Quoniam in primis hæc locatio magna non caret suspicione fraudis , ac simulationis , nam nullum exhibetur indicium , & argumentum , quod ullam habuerit executionem : Et quamvis in venditionis Instrumento nonnulla caveantur pro conservando jure Krainæ uti Tenutarii Prædii , quod distrahebatur ; ignoratur tamen an hæc pacta pertineant ad controversam locationem anni 1622. ; Præterea apprimè distat à verisimilitudine , quod pendente triennali locatione , Prædium locatum distrahi , atque alienari voluerit , & quod tanti potuerit Prædium locari , cum tamen inspectis tot actis , & confessionibus superiùs recensitis , apertissimum sit annuos Prædii redditus longè minores esse debuisse : Absit igitur , ut ulla habeatur fides huic locationi , adversus quam tot simulationis argumenta , & conjecturæ proferuntur , *Becc. cons.* 50. *num.* 35. , *Honded. cons.* 40. *num.* 9. , *&* 10. *lib. primo* , *Gratian. Discept. For. cap.* 255. *num.* 31. , *Rot. coram Falconer. tit. de Miscellan. decis.* 18. *num.* 2. , *& coram Eminentissimo Tanar. decis.* 102. *num.* 1.

13 Deinde valor , qui ex annuo redditu , multoque magis , qui ex locationibus desumitur , incertus ut plurimum reputatur , cum revera tanti res valere dicatur , quanti communiter emi , æstimarique consuevit , *Gob. consult.* 93. *num.* 29. , *& seqq.* , *Jov. de Solemnit. in contract. min.* , *Gloss.* 22. §. 18. *num.* 105. , *Armenzan. decis. Gen.* 60. *num.* 22. *vers. Neque taxationem* ; *Rot. in Romana Emphyteusis super melioramentis* 16. *Martii* 1708. §. *Neque cum seq.* , *&* §. *fin. coram clar. mem. Card. Scotto* , *& in Romana Fideicommissi de Avila super pretio Vineæ* , *& Mobilium , prima Junii* 1720. §. *Hisce autem coram bon. mem. Foscaro* . Præter quam quod locatio , de qua disceptatur , ad summum concludit annuam fructuum quantitatem , quoad unum tantummodò triennium , cum tamen recepti Juris sit , ad concludendum valorem , maximè in materia læsionis , plenissimas requiri probationes de annuo fructu unius saltem integri decennii ex firmatis per *Adden. ad Buratt. decis.* 538. *num.* 22. *vers. Secundus casus* , *Rota decis.* 208. *num.* 2. *coram Roy.* , *& decis.* 204. *num.* 6. *coram Priolo* ,

& de-

& decis. 1001. *num.* 3. *coram Emerix Jan.*, *& decis.* 1315. *num.* 7. *coram eodem*; Sed omnem, si qua adhuc inest, ambiguitatem removet observantia centum annorum, quæ prohibet, ne læsionis prætextu retractetur quidquid tantæ temporis vetustas comprobavit, *Rot. in Bononien. Immissionis* 13. *Aprilis* 1722. §. *Nec obstat coram clar. mem. Card. Corio.*

Et ita &c. utraque &c.

ROMÆ, MDCCLII.
Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

Superiorum permissu.